



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

Precatio suauißima quotidie à deuoto adolescente merito vsurpanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

in quibus omnibus & singulis exercitijs, vir deuotus eam subinde haurit voluptatem, vt æternam quasi felicitatem, cœliq; delicias prægustare videatur. Claudat hūc locum precatio suauissima, quam à Deo edocta sancta quædam virgo tradidit, ab quouis deuoto adolescente meritò quotidie vsurpanda.

Adoro te, sancta Trinitas Deus meus: *Precatio*
gratias ago pro custodia, prouidentia, & *quotidie à*
bonitate tua, & omnibus beneficijs tuis, *deuoto ado-*
quibus cœlum, terram, maria, & omnia, *lescēte me-*
quæ in eis sunt, in tempore, & in æternita- *ritò vsur-*
te imples. Offero tibi animam meam cum *panda.*
omnibus viribus suis; dignare hanc oblationem accipere Deus meus. Offero tibi cor meum in cor, & in amorem vnigeniti filij tui, vt tibi semper seruiat, te amet, te reucreatur. Offero tibi volūtatē meam; fac de me quod tibi placet: ne relinquas me Domine in me; sed assume me, vt sim totus in te. Laudo te, & gratias ago tibi pro infinitis beneficijs in me collatis, & in gratiarum actione rogo beatam Virginem Mariam, omnes spiritus cœlestes, omnes beatas animas, vt mecum tibi gratias agāt, suauissime Domine mi. Impetrēt mihi misericordiam tuam pro omnibus peccatis meis, & pro omnibus creaturis, quas ego tue diuinę maiestati cōmendo, & à me ipso
repu-

repudio, conformans me per omnia voluntati tuæ. Domine mi, tolle à me quicquid tibi displicet in me, & da mihi quicquid tibi placet: dirige & posside me secundum beneplacitum tuum, Amen.

PARS XIII.

Deliberatio de statu vitæ, quando & quomodo instituenda.

HI s quæ diximus de oratione vocali & mentali, & de deuotione, merito subiiciemus deliberationem status, in quo quisque reliquam vitam decurrere velit. Maximoperè enim conducit adolescentibus maturè, aut certè non nimium tardè constituere secum quo in genere ac statu velint totum vitæ tempus transigere, ac denique mortem Christianam obire. In primis igitur adolescens existimare debet, in hac electione, cardinem totius vitæ, atque omnium actionum, ipsiusque æternæ vitæ verti. Deinde verò persuadere sibi debet inquirendam, atque intelligendam Dei voluntatem, num in hoc, aut illo statu velit Deus salutis nostræ negotium nos agere. Perspicuum enim est non omnes à Deo ad vnum, idemque vitæ genus vocari. Terriò denique hæc deliberatio non leui & præpropere

*In delibera-
tione vitæ
cardo salu-
tis vertitur*